

**Dissertatio medica inauguralis, de melaena ... / Eruditorum examini subjicit
Onuphrius Aram Bryan.**

Contributors

Bryan, Onuphrius Aram.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k5mjsc9u>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

17
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MELÆNA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ONUPHRIUS ARAM BRYAN,

BRITANNUS,

Soc. Med. Reg. Edinb. Soc. Extr.

Soc. Physic. Soc.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSEMINATION OF THE

DISSERTATIO MEDICA

I N A U G U R A L I S,

D E

M E L Æ N A.

UT morborum fere omnium, sic hujus maxime notitia, descriptio, atque prima documenta ad Hippocratem referuntur. Is enim vetustissimus auctor, et nomen, et quae sequuntur notas, literis mandavit. “ Bilem atram tanquam faecem vomit, interdum quidem velut sanguinem, interdum vero velut vinum secundarium, quandoque etiam tanquam acetum, nonnunquam vero salivam et pituitam, nonnunquam bilem ex viridi pallidam. Et cum nigrum quidem cruentum vomuerit, caedem olere videtur; fauces et os ex vomitu incenduntur, dentes obstupefcunt, et quod vomitione rejectum est, terram attollit: cumque vomuerit, paulo melius habere videtur: neque sine cibo esse, neque copiosorem cibum ingestum ferre potest. Verum cum jejunos fuerit, viscera strepitum edunt, et saliva acefcit. Ubi vero cibum sumpfit, pondus in visceribus percipitur; pectus et dorsum tanquam stylis pungi videntur; latera dolor detinet, febris levis est, caput dolet, oculis non videt, crura gravantur, color nigricat, et imminuitur.” Ibidemque, interjectis monitis de curatione, inquit, “ Cum aetate etiam morbus au-
fugit,

fugit, aut cum corpore senescit; si vero denigratus sit, commoritur:” continuoque post alterum eodem nomine morbum sic describit. “Subfulvo colore, gracilis, et oculis ex virore pallescentibus evadit; tenui est cute, et debilis existit: quoque diutius hic morbus detinet, eo magis affligit; et quovis tempore velut stillam modicam vomit, ad duo parva pocula, cibumque frequenter, et cum cibo bilem ac pituitam. Post vomitum totum corpus dolet, interdumque etiam priusquam vomat, horrores leves, et febris detinet, sumptisque dulcibus et oleosis prae-cipue vomit. Hic vero morbus lethalis non est, sed ad senium usque comitatur. Morbus siderationem faciens (Σφακελωδης) in reliquis quidem eadem patitur; verum bilis grumos concretos vomit, eodemque modo per inferiora dejicit, ubi ciborum recre-menta excreverit*.” Censui monumenta haec Hippocratis aliquantum plenius exscribenda: quanquam enim alter morbus plane alienus est; cum medici nunc omnes ab excretorum, non corporis, colore melaenam nominent†; id tamen quod de morbo siderationem faciente subiectum est, ad alterutrum priorum videtur pertinere; aut certe speciem ejus quem sum tractaturus refert. Et profecto, qui primus hic traditur, licet genuinum melaenae exemplar a multis habeatur, varia complectitur symptomata, quorum plura quidem affectuum ventriculi, non ita melaenae, ut hanc intelligimus, propria sunt. In reliquis libris qui sub Hippocratis nomine feruntur, maximeque in aphorismis, et epidemicis, multa sunt de nigrorum excretionem scripta: sed eorum, quae in hoc de morbis libro obscuriora, vel male ordinata videantur, explicatum inde frustra quaesiveris. Neque Celsus, utcunque fidus Hippocratis interpres, neque magis Aretaeus, narrator in primis elegans, tale quid morbi genus sigillatim descripserunt. Quicquid enim de nigris dejectionibus vomituve hi tradunt, id omne pertinet ad praefagiorum doctrinam, ad melancholiam, aut ad ventris, jecoris, et lienis vitia, quorum quandoque

* De morb. L. ii. interprete Faesio.

† De nonnullis eorum, qui in melaenam inciderunt, scriptum est, subflavo, vel fusco colore fuisse. Id vero neutiquam perpetuum est observatum: tamen ut in plerisque cachexiae generibus, sic in hoc morbo decolorem esse cutem facile crediderim.

doque quidem symptomata esse istiusmodi excretiones agnoverunt. Caelius Aurelianus leviter rem tangit, in capite de melancholia, itemque ubi *diagnostica* proponit sanguinis e ventriculo profusi. Rufus praestantissime, Galeno iudice, de atra bile differuit; quae vero illius de hac re monumenta apud hunc et Aëtium supersunt, nihil attinent. Ipse Galenus citatum locum non interpretatus est; sed in caeteris commentariis, in libro de humoribus, alibique, suam de atra bile sententiam fufe explicavit. Hoc auctore, bilis atra, seu fuerit flava bilis adustior, sive faex sanguinis, et humoris istius melancholici, quem in sano quoque corpore inesse Hippocrates docebat, soboles degener; ab ipso tamen sanguine, aliisque quotquot excernantur nigris eo distinguenda, quod acerbo sit sapore, et cum terra fervescat: huius, inquit, si a sicca tempestate, corporis temperamento calido, incommoda victus ratione, febribus, jecoris, vel lienis (proprii ejus receptaculi et sentinae) vitio, vis intendatur, aut copia redundet; tum morbus Melancholia dictus, Hypochondriasis, Quartana, Apoplexia, Cancer, et dira malorum ilias impendet. Eadem si ad ventriculum tendit iter, quod facile per vas breve patere creditum est, ater cietur vomitus: si deorsum fertur, nonnunquam morbos a sui congestione prius exortos sublevat; saepissime autem viscera atque intestina corrumpit, rodit, funestoque omine per alvum eliminatur. Sed haec satis, et plus quam satis de commentis opinionum veterum: quibus equidem immorari non pretium operae duxissem, nisi auctores pene omnes ad saeculum 16mum usque, quoties nigrarum excretionum obiter meminerunt, pro historia morbi, haec dogmata Galeni retulissent. Imo hoc ipso saeculo, sanguinis circuitu dotibusque exploratis, celeberrimi viri eandem pathologiam venditarunt: nec acida bile atra contenti, alteram finxerunt *alcalinam*, et tertiam oleosam, putrefactam, omnium teterrimam; quarum una aliquis, cum turget, efficiens morbi nigri, si illis audiamus, causa est. Rebus male intellectis inepta plerumque nomina imponi solent. Hic morbus idem (quantum ab imperfectis narrationibus inferre licet) aliis aliter appellatus fuit, *Vomitus Melancholicus*, *Fluxus Melancholicus*, *Gholirica*, *Hepatirrhoea nigra*, *Dysenteria splenica*,

splénica, &c. *Fluxum Gastro-mesentericum* vocat Lieutaud, nomenclaturam maxime usitatam admittere gravatus; nequando, scilicet, cruor e naribus delapsus, et in ventriculo, et intestinis nigrescens, medicos colori nimium credentes falleret. Sed vanus iste metus. Ego non laboro de nomine; id vero tenendum putavi, quod summis Nosologis acceptissimum est. Aptius tamen compositum aliquod, parce detortum, ut puta *Melanorrhoea* vel *Melanorrhagia*, tum fluxum, tum colorem ejus significaret.

DEFINITIO. Unus e paucis, qui integrum de hoc morbo tractatum ediderunt, clar. Hoffmannus, in operis exordio Hippocratis verba citat: cum vero quae ad calcem ibidem (*Περὶ Σφακελιδίως*) subnexa sunt praetermittat, hunc cruentarum alvi dejectionum meminisse non animadvertit: quam tamen ipse Hoffmannus, caeterique, quod sciam, omnes in morbi characterem acceperunt. Ita Sauvagesius definit, "Fluidi atrii per superiora, vel inferiora frequens rejectio." Ita Sagarus, "Fluxus materiei nigricantis, atro-rubrae, ano vel cato frequens." Linnaeus et Vogelius hunc morbum ab *Haematemesi* secernendum non curarunt, saltemve characterem proprium idoneumque non proposuerunt: neque enim illius *Cholirica*, neque hujus *Catar-rhexis*, quicquid mali genus vellent intelligendum, morbi nigri proprietates satis indicant. Quatenus ab *Haematemesi* simplice distingui possit, vel debeat, alibi dicetur. Interea pro definitione sint hae notae.

Languor, anxietas, sanguinis subnigri, vel instar picis liquidae nigerrimi, plurimum copiosi, vomitus aut dejectiones.

Quod hunc sanguinis esse fluxum definite dixerim, plures causae fuerunt. Hoc nudo verbo apertior fit vera morbi indoles, et affinitas, quam cum caeteris haemorrhagiis habeat. Neque potest, ut opinor, dubitari, num satis obvia sit haec nota; nam cuique, vel mediocriter perito, licebit hac specie sanguinem ab aliis quotquot unquam excernantur nigris distinguere; utique, si tenebit, partim in grumos coactum esse, partim instar picis li-

quatae

quatae spissum, et saepissime (prope dixissem semper) copiosum. Denique, quod maximo argumento est, in morbo de quo agitur ipse revera sanguis excernitur: idque sagacissimi nunc medici diserte monuerunt: nec defuerunt quidem olim, qui eandem sententiam profiterentur. Et hoc subjiciam (ne videar ab Hippocrate descivisse) quod is ipse sanguinem excretum non obscure innuit. At bilem nominat expresse; et novimus hanc aliquando fuscam, imo nigerrimam cerni. Itane tamen verum est, copiam ingentem hujus spissatae simul et nigerrimae excerni? Rarius quidem; et si tale quid factum legitur apud auctores hodiernos, fas est suspicari, hos aut dissimilem ei morbum, quem plerique nigrum nuncupant, vidisse; aut colorem copiamque humoris excreti conjectura tantum perspexisse. Afferuntur aliquot exempla, quae hanc opinionem infirmare videantur; multae, scilicet, bilis nigrae ac tenacis, sursum et deorsum ejectae*. Sed symptomata alia erant ac melaenae; et auctor, si bilem in his exploratam habuit, potuisset sine dubio sanguinem distinxisse, si melaenam veram sibi vidisse contigisset. Quid enim? ubi materies nigerrima ad libras aliquot affatim subitoque prorumpit, nullo antea tumore circa fellis vesiculam percepto, ne ullo quidem redundantis ejus indicio existente; ecquis, nisi velit et nomina et res ipsas confundere, hanc esse bilem contendet? Necessesse est nonnihil bilis inter vomendum quandoque emulgeatur, efferatur, et materiam egestam, si haec modica fuerit, colore suo inficiat. Idcirco evenisse potuit, ut quidam medici fallerentur, cum eam diluendo, quomodo a nonnullis propositum erat, explorarent†. Verum neque hoc, neque alio quovis genere probationis

* Percival on Atra Bilis in *ess. med. and exper.* 1773. † Fernel. *univ. med.* L. vi. c. x. Forest. *obs. et cur.* Ed. 1653. L. xxii. schol. ad obs. 14. Senner. *instit. med.* L. iii. p. iii. c. 7. Hi bilem a sanguine distingui posse censuerunt; quod, cum illa diluta seu quoquomodo attenuata, cum viriditate quadam flavescat, hic rubescit potius. Hoc dijudicandi modo usi sunt, cum alii plures, tum Morgagni de *sed. et caus.* XXXIX. 21. et Lorry de *melancholia*, P. ii. c. ii. Qui proxime dictus auctor, dum pene aniles de atra bile ineptias, quibus saniorum suam theoriam pessime corruptit, repetit ac tuetur, aliquot hujus morbi casus profert; et in uno vel altero eorum colluviem copiosam, nigerrimam, vomitum

bationis opus esse videtur. Quoties enim immodice (ut fere solet) atrum quid piceum, aut cum grumis, aut sine grumis profusum est, id ex sanguine potissimum constare aspectu primo cognoveris.

SYMPTOMATA. Quo clarius pateat melaenae multiplex origo, convenit hic exponere, non ea modo symptomata, quae praesentem comitantur, sed etiam insigniores corporis mutationes, quotquot venientem antecedunt: non quod, his cognitatis, semper primam accessionem avertere fidenter sit sperandum; cum nullos, quantum assequor, certos, et sibi proprios habeat praenuncios; sed, affectibus quicum maxime conjungitur perspectis, licebit forsitan, et recidivae occurrere, et praesentem felicius curare. Similes melaenae casus plurimi sunt memoriae traditi, quorum alios corporis aegrotatio aliqua, et abdominis ventriculique molestiae antecesserant. Has vero perleves vel nullas existimaverit quisquis nesciat, quam parum accurate consueverint, et aegri, et medici praeterita recordari. Alii casus sunt ratiunculis adeo perplexi, ut ne Apollo quidem quales sint intelligat. Boerhaavius, Hoffmannus, et qui ab hoc multa acceperunt Kaempferus cum sectatoribus†, cuncta enumeraverunt symptomata, quotcunque ad melancholiam atque hypochondriacum pertineant, vel pertinere sibi visa essent. Satius est, opinor, casus ipsos, utut imperfectos, colligere atque ordinare.

Ante fluxum igitur plerique anorexia, nausea, ventriculi inflatione et dolore, conflictantur. Simul abdominis molestiam plus minusve

mitu rejectam, negat esse sanguineam, quia linteo imbuta maculam atram aegre delebilem impressit: quasi scilicet, humor, qui tam haerentes habet partes, facilius quam iste sapo, ut volunt, animalis abstergeri debuerit; Conf. p. 235. 250. 260. Horum neutri humorum, cum dilutus est, idem perpetuus color; vid. Haller. elem. phys. L. xxiii. f. 3. Simson in Edinb. med. eff. V. 1. A. 34. Ad tenacitatem nigri sanguinis quod attinet, "Memini me vidisse, inquit Sauvagesius, e liene cadaveris cujus aortae adaptaveram tubum aquae plenum, effluxisse per horam, tantam humoris nigri copiam, ut ab eo lienem nunquam elui posse desperarem;" Nos. meth. Ed. 4a. T. ii. p. 112.

† Videbis Kaempferi de infarctu vas. ventric. in Baldinger, opusc. V. iii.; ubi plures sunt dissert. eadem in rationem scriptae.

minusve gravem conqueruntur* ; quae, sicut dyspepsiae propria mala, a pastu intendi solet. Horum permultis etiam tumor, aut durities, aliquam partem hypochondriorum diu obsedit, aut abdomen totum intumuit cum dyspnoea : et nonnullos intermittente febre, jam depulsa tamen, aut sublevata, laboravisse traditum est. Stomacacen, maculas livescences, caeteraque scorbuti symptomata, profusiones sanguinis, interdum e ventriculo et intestinis, comitantur vel excipiunt. Ubi multus et nigricans ejicitur, symptoma id ad morbum nigrum referre nonnullis placuit. Aliquoties demum cum febribus conjungitur, aut a primo impetu inclinatis accedit, secus ac in casibus supra comprehensis, quos, scilicet, pyrexia nulla aut modica, necdum satis observata, comitatur ante excretum sanguinem. Paroxysmo tertianae accessit, nec infelix exitus. Interdum vero in malignis quas vocant febribus, hoc mali morbi testimonium supervenit, ipsum fere lethiferum†. Accessit etiam, ubi pyrexia assidua, plus quam modica, nec adeo tamen exitiosa, per aliquot ante dies persisterat. Exempla non ita multa invenio phlegmasiae antecedentis ; et hanc demum potius indicarunt cadavera fecta, quam in vivis notata symptomata. Peripneumoniam vero subsecutae sunt cruentae nigraeque vomitiones ; neque dubitaveris quin hepatitis, splenitis, vel denique alius cujuslibet medii, aut imi ventris, visceris inflammatio, eundem eventum interdum habeat. Sed nolo haec mera symptomata ulterius prosequi ; con-

B

tineoque

* Molestiam, inquam, conqueruntur : etsi quidam ventris infimi dolores sentire vehementes scripserunt, tamen multis in exemplis, instante et persistente vomitu, aut defectione, leves, obtusos, imo nullos fuisse memoratum est. † Judice Hallero, nihil aliud quam nigri sanguinis excretio est ista frequens et portentosa defectione, vel vomitio, quae morbum Siamaeum comitari fertur. Elem. physiol. l. xix. c. i. Nec aliud esse videtur niger vomitus, quem Indiae utriusque coloni, ceu mortis nuncium minime fallacem, in simili pesti Siamacae Typho lictero reformidant. Plane idem est fluxus niger, cujus in Senegalliae gravissima febre, finem versus incidentis, meminit recens auctor J. P. Schotte : et mireris profecto, quod hic, cum solutam sanguinis compagem tam evidenter peripexerit, bileni quasi solam in vitio esse per nomen indicavit. On the typhoid, aurabil. p. 45. 47. 58. 64. &c.

tineoque me iis casibus, quos quidam medici in morbis idiopathicis numerarunt.

Haftenus de affectibus paulo longius praeceuntibus. Propius instante fluxu, haec fere perpetua accedunt: Alvus tarda, anxietas, languor, deindeque aut vomendi aut desidendi cupiditas. Quemadmodum in notis prius expositis indicavi, ita hic intellectum velim, saepe contingere vomitum, quem nulla protinus sequatur dejectio; quodque in decursu morbi per alvum egeratur, id pro reliquiis sordium cruentarum, quae vomitu non penitus expurgatae fuissent, habendum. Nec raro accidit dejectio sine vomitu. Interdum vero, utraque referata via, ex intervallo brevi sese invicem excipiunt. Copia plerumque ingens; immane quantum a nonnullis scriptoribus est proditum. Quod deorsum fertur, id alii aliter Rob. Sambuci, Atramento crassiori, vel Cassiae medullae simillimum esse narrant. Plurimum vero colore ac spissitudine picem liquidam refert; nonnihil, scilicet, splendens, et aliqua ex parte in grumos, rubro interdum sanguine distinctos, coactum; odore saepe teterrimo. Vomitu rejecta, modo fusca, modo nigerrima sunt, et partim concreta; aliquando etiam, uti traditum est, acida*. Jam arteriarum pulsus celeriores fiunt; animus atque vires deficiunt; et aeger gelido sudore madens, sanguine singultans, nervis distentis, luminibus cavis, facieque cadaverosa horridus, in arcto salutis exitiique confinio vacillat. Et nonnulli quidem primo impetu abrepti sunt: saepius autem in tantas angustias res non deducta est: quin absunt singultus ac nervorum distentio; et vomitiones, postquam iterato molimine colluvies aliquatenus exantlata fuerit, sedantur. Alvus per aliquot dies reddit nigricantia; sed haec sensim, nisi quando medicamento sollicitatur, parcius atque rarius demittit; et aeger ex morbo facillime recidivo paulisper recreatur. Est cum postridie nova redit accessio: est cum

ad

* Solenander Conf. Med. sect. v. conf. 15. Guarinoni apud Bonet. Sepulchr. l. iv. f. 1. obs. 3. Hist. Morb. Vrattisl. a.d. 1746, p. 179. Rarius autem in melæna quam in vomitu cruento, ventriculi ipsius morbi symptomatico, acidum redolet proluvies: nec obscura quidem ratio est.

ad plurimos dies, vel menses, vel demum ad aliquot annos differtur. In exemplis non paucis circuitum quendam servavit*.

De eventu graviora quaedam testimonia ad hunc locum attinent, quorum quae pugnancia videantur, alibi, ut potero, componam. Hollerius haec habet: "Multos ipse observavi saepe dejicientes nigra, etiam faeci vel pici liquidae similia salutariter, et in febre, sed natura separante, et non in principio;" et post paulo "vidimus qui simile quid crassiori pici nullo periculo, et sine febre dejicerent; alios etiam cum febre et periculo†." P. Salius quoque asseruit nigri sanguinis rejectiones, febre non stipatas, saepe esse salutiferas, nisi male curentur, aut saepius repellant. Et Schenkius eodem retulit casus aliquot, qui non modo non lethales erant, sed sine detrimento sanitatis per intervalla revertabant‡. "Etsi periculo non careat," inquit Sennertus, "et ad malum habitum, et hydropem deducere soleat, tamen saepe etiam a multis morbis, si tantum modum non excedat, praeservat§." Hoffmanni sententia est, plures per hunc fluxum a labe viscerum liberari: alibi tamen monet, quam sit periculosus: et profecto quos enarrat casus, ad hunc titulum pertinentes, prope omnes male cesserunt¶. Auctore Boerhaavio, bilis atra supra infraque erumpens, morborum melancholiae et hypochondriasis, si nondum inveterarunt, curationem saepe attulit. Et Suietenius quosdam vidit casus non funestos; imo plurimos novit, qui evaserunt, et postea satis sani vixerunt; licet tam valida sanguinis evacuatio contigisset, ut convellerentur¶¶. Contra, Dodonaeus se multos vidisse testatur, quibus post lienis tumorem crebrae sanguinis vomitiones oboriebantur: hi prope omnes, aut

in

* F. Platerus casum melaenae refert quoque triennio revertentis, ad 4 vices; observ. l. iii. Monet Sennertus diarrhoeam atram piceam statim temporibus, vel singulis annis, vel semestribus recurrere; Practic. l. iii. p. ii. f. ii. Spleneticus quidam T. Bartholini amicus, singulis annis, eodemque anni tempore, in vomitum cruentum recidebat; T. Barthol. hist. anat. rarior. cent. 1. hist. 87

† De morb. intern. l. i. schol. ad cap. 43. ‡ Observ. medic. Ed. 1644, p. 312. 315. 328. &c. § Practic. lib. iii. p. iii. f. ii. ¶ De morb. nigr. § 13. et 14. et de vom. cruent. enarrat. in med. rat. syst. ¶¶ De cogn. et cur. morb. aph. 1150. 950.

in asciten lapsi sunt, aut cito periire. “Unum vel alterum,” addit, “nostro consilio post unicam vomitionem servatum meminimus *.” Demum, ne plures persequar, casus in sepulchretis, diariis, aliisque medicorum scriptis, expositi declarant, cum primam accessionem esse formidolosam, et recidivam, seu ipsam, five morborum tandem quos parit aut non levat interventu, plurimis lethiferam; tum alios non paucos sanitatem, qualis esse potest, exinde recepisse.

DIAGNOSIS. Jam superius notatum est, melaenam ab haematemesi non semper distingui. Neque mirum id quidem, cum interdum illius accessio fere solo consistet vomitu: et quantum ad colorem sanguinis rejecti pertinet, is ruber vel niger esse potest, prout brevior aut diuturnior intus mora fuerit; ne dicam mutationes, quas possint quae in ventriculo contenta sint efficere. Porro, ubi ab ipsis ventriculi vasis demum profluxerit, nequit fieri, quin aliquantum ejus per inferiora deferatur. Quibus de causis evenit, ut alii vomitum cruentum simpliciter nominarent, quem ego, medicos non ignobiles secutus, pro quodam melaenae typo habendum censui; alii, cum de hac differerent, illius simul propria, nullo habito discrimine, inferuerint. Velut ubi scriptum est, foeminas quam viros melaenae opportuniore esse, et dolores truculentos fluxum antecedere †: quae, quamvis recte de quibusdam haematemesis speciebus dicta sint, non ita melaenae, qualis jam finita est, conveniunt. Etenim in historiis longe plures invenio viros; atque interdum animadvertunt, qui has memoriae tradiderunt, dolores praesentiri leves, obtusos. Utraque quidem, tum haematemesis, tum melaena, saepius symptomatice, nec raro, ni multum fallor, vicaria est. At ratione causarum, eventus, et curatione quam recipiunt diversa, multum inter se differunt, et, quoad licet, distingui debent.

Quas

* Med. obs. rar. cap. 26. et schol.

† Hoffmannus de morbo nigro,

§ 9. x. xv. In hoc tractatu praecel. auctor haematemesis mensium vicariam a morbo nigro vult secernendam: in capite de vomitu cruento aliquot exempla verae melaenae immiscuit. Kaempfe (l. c. § xi.) Sexus sequior, inquit, ad infarctus ventriculi suspiciendos aptior.

Quas illius species recensuit Sauvagesius breviter percurram. *Haematemesis plethorica*, quatenus haemorrhoidis suppressionem sequitur, melaenae similis esse potest, quatenus *amenorrhoeam*, plane discrepat. Quinetiam universi corporis *plethora* (quam subesse, et vox *plethorica*, et lautior victus in causis numeratus, significant) hanc a melaena distinguit; quippe cujus in *proegumenis* nulla certa aut luculenta plenitudinis universae indicia memorentur. Testor ipsas jam citatas, et citandas adhuc historias. *Haematemesis ex aneurismate* et *traumatica* a melaena dignoscendae sunt, quod haec tardius incrementum vitio corporis, nec evidente externa causa, nascitur. Potest quidem *aneurisma*, sensim absque vi externa ortum, et tandem ruptum, cruentum vomitum excitare: sed hoc rarissimum est; et, siquando accidit, pulsu intermittente, si, ut in proposito casu, ab aorta provenit, cognoscitur. Quae *ab hirudine* dicitur, credulam antiquitatem non nihil redolet. Nonnulla quidem exempla hirudinis devoratae non ita pridem accepimus: sed in his, quantum memini, sputa cruenta potius excitavit, circa faucium itinera haerens. Hanc vero speciem, tum *carnoso-cruentam*, atque *atram*, quae quales sint non liquet, leviter praetereo. Celebratissima est *Catamenialis* a mensium suppressione orta. Eodem refert auctor haematemesis haemorrhoidis vicariam, quam in praesens omitto, de hac alibi dicturus †. *Catamenialis* merito a melaena determinatur. Nullo enim tumore aut duritie afficiuntur hypochondria, nullaue in venis, sed in arteriis, et his ventriculi solius, congestio sanguinis fieri videtur: neque tam gravis animi viriumque defectus fluxum fere unquam comitatur; quem, etsi immodicus atque menstruus sit, aegrotans commode, et, uti aiunt, cum *euphoria* evadit. Cui nomen a *Pancreate* vir clarus imposuit, haec non alio nititur fundamento quam *hypothesi Sylvianae*; aut certe pro specie, a caeteris distincta, perperam habetur: nam pancreas, etsi non

raro

† Non sine aliqua causa Sauvagesius *haematemesis* quae mensium, cum ea quae haemorrhoidis vicaria est, conjunxit: namque hanc existere, et interdum sine magno sanitatis aut virium detrimento, cum circuitu quodam repetere, docent auctores. Ejusmodi vero casus ad melaenam ideo pertinere reor, quod et natura maxime affines videntur, et, si vicarii, fluxus non naturalis vicarii sunt.

raro sit vitii istius particeps, quod sanguinis vomitui et dejectioni dat exordia; nulla tamen, quantum novimus, indicia sibi propria edit; neque, si intumuit, potest id facile, cum alte reconditum sit, tactu percipi. Quae species ex *splene*, et ab *hepate* nomen habent, magis ad melaenam pertinent; uti liquido patebit, collatis inter se auctoribus, quos Sauvagesius sub his titulis, et sub genere melaena, citat; consideratisque quas posthac afferam rationibus. *Scorbuticae haematemes* et *scorbuticae melaenae* eadem natura est et ratio. *Cholerica*, quaeque a *veneno* est, longe sunt melaenae dissimiles: priorem ira vehemens, alteram convulsiones dirae antecedunt, inferuntque. Ad *simulatam* quod attinet, monendum est, sanguinem e naribus vel faucibus delapsum, aut in cibariis comestum, quosdam imperitos sub specie cum haematemes, tum melaenae decepisse. Imperitissimi quidem isti, qui, teste Platero, pulpam ficuum substantiam jecoris, aut lienis esse putaverunt. Itaque, si eas tantum species excipias, quae a labe viscerum nomen ferunt, vix una in hoc censu numerofo invenitur, cujus a melaena distinctio non est necessaria, atque satis facilis. De iis vero nulla amplius dubitatio moveri potest, ubi dejectio incidit sine vomitu. Hippocrates olim *dysenteriae* ab atra bile funestae meminit: et Galeni temporibus fuere, qui cruoris omnem ab intestinis fluxum dysenteriam appellarent. Et hos nonnulli ex recentioribus secuti, quandam ejus speciem proposuerunt, ab acerrima bile atra, viscera ac intestina exedente, natam. Sed in dysenteria, qualis nunc accuratius est definita, primaria febris, aut certe tormina quam in melaena graviora adsunt. In illa faeces mucosae, variae; in hac ex toto fere sanguis; cujus quoque uberius proventus est, et sine tenesmo. Ea species *haemorrhoidis*, quae neque cum tumore externo, neque cum proidentia ani jungitur, nonnihil ad melaenae naturam atque similitudinem accedit. Hinc vero patet discrimen, quod aut sanguis effluens, secus ac in melaena plerumque, modicus est, aut, si immodicus, non aeque nigricans. Quinetiam lumborum et ani dolor, scaturiginem profluvii indicat. Nolui in melaena finienda proponere (quod ab aliis factum video) hanc sine mariscarum signis esse: potest enim fieri, ut ab haemorrhoides quondam infestante

tante tumores superfint. Denique, a melaena sunt distinguendae, atque ad affectus ventriculi vel intestinorum symptomaticos relegandae, istae coloris varii, subindeque nigricantis, excretiones, quae tumorem, scirrhum, ulcus, vel coarctationem ventriculi, vel intestinorum, aut vitium pancreatis, maxime qua ad duodenum pertinet, comitantur. Interdum quidem ex tali morbo profusio fit melaenae aemula; qualis est casus a clar. Simson relatus*. Saepius vero quod, inveterato malo, excernitur, tabaco, fuligini, vel faeculis coffaeae, dilutis simile est; et antecedit, perduratque, quamvis post cibum sumptum asperior, dolor vehemens, sedi propriae, et huic exiguae fere unice infixus: vomitus quoque, aut dolores colici crebro diuque infestant†.

Multis in membris quidem claudicat haec diagnosi. Quo minus imperfecta atque manca videatur, schema subjiciam, quod quanquam, "velut primis lineis designatum," species maxime affines, et scriptores ex quibus sunt depromptae colligat, atque in conspectu ponat.

MELÆNA. Languor, anxietas, sanguinis subnigri, vel instar picis liquidae nigerrimi, vomitus aut dejectiones.

Cholirica. Fluxus spleneticus—melancholicus—niger hepaticus, priorum auctorum. Vomitus Nigrorum Stahl. Theor. Med. Ver. Juncker. Consp. Med. Theor. Pract. Ed. 1724. Tab. IX. LXV. LXVI. Morbus Niger Hoffmann. Oper. Suppl. ii. et de Vom. Cruent. in S. R. M. Kaempfe et sequaces ejus de infarctu Vasor. Balding. Opusc. Vol. III. Van Swiet. Comm. in Boerh. Aph. 950. 1150. &c. Tissot apud Sandif. Thes. T. 1. Melaena Sauvag. Gen. 249. Sagar. Gen. 184. Clar. Home Clinic. Exper. Sect. vii. An Hippocratis Morbus Niger?

MELÆNA

* De Re Medica Diss. 4ta. In Mem. de Math. et de Phys. present. a l'Acad. des Sciences, T. 1. p. 383. memorabile est exemplum (ab auctore Dom. Baron pro Nigro Morbo Hippocratis habitum) ventriculi a Gangraena, scirrhum et phlogosin excipiente, peresit; unde factae sunt copiosae sanguinis vomitiones et dejectiones.

† Ruysch Obs. Anat. Chir. Obs. 39. Morgagn. de Caul. et Sed. XXIX. 30. XXX. 9. Lond. Med. Obs. Vol. ii. A. 6. Hist. de la Soc. Roy. de Med. T. i. p. 257.

MELÆNA (*simplex*) praegressis ventris et ventriculi molestiis, tumore nullo in hypochondriis evidente.

Hoechstetter Obs. Med. Dec. ii. Cas. 1. 5. River. Obs. Med. Cent. 1. Obs. 43. 51. Bonet. Sepulchr. Ed. 1700, L. iii. S. viii. Obs. 73. in Notis. Morgagn. de Caus. et Sedib. XXX. 16. Van Swieten Com. in Boerh. Aph. 950. Lientaud Hist. Anat. Med. P. 1. Obs. 415. Tissot apud Sandif. Cas. 2. Lorry de Melanch. P. ii. c. ii. passim.

MELÆNA (*tumens*) cum abdominis ventriculique molestiis, illius etiam, vel hypochondrii sinistri maxime, tumore et gravitate.

Huc pertinent Sauvag. Melaena Splenetica, S. 1. Haematemesis a Splene, S. 7.—ab Hepate, S. 14. Cratonis Conf. 69. Lib. vi. et Conf. 6. L. vii. Marc. Donat. Hist. Med. Mir. L. iv. C. 9. Dodon. Medic. Obs. cap. xxvi. Forest Obs. et Cur. Med. L. xvi. Obs. 24. et L. xxii. Obs. 13. 14. et Schol. F. Plater. Obs. L. iii. Hildan. Obs. Chir. Cent. ii. Obs. 9. Greg. Horst. Obs. et Epist. Med. L. iv. Obs. 5. Tulp. Obs. Med. L. ii. C. 21. Diemerbroeck, Obs. et Cur. Med. Obs. 14. Stalp Vander Wiel, Obs. Rar. Cent. Poster. P. i. Obs. 17. T. Bartholin. Hist. Anat. Rar. Cent. 1. Hist. 87. Cent. vi. Hist. 41. Ephem. German. Dec. 1. An. vi. et vii. Obs. 48. 113. An. ix. et x. Obs. 20. Dec. 11. An. iv. Obs. 164. An. viii. Obs. 125. Hoffmann. de Vom. Cruent. Obs. Bonet. Medic. Septentr. L. iii. S. v. C. 4. et S. vii. C. 1. et 9.—Sepulchr. Ed. 1700. L. iii. S. 17. Obs. 21. L. iv. S. 1. Obs. 3. Schurig. Haematolog. Cap. v. § 3. Hist. Morb. Vrattissl. Ed. 1746. Pag. 112. 179. Journ. de Med. Mars 1758. Avril 1760. Dec. 1760. Mai 1765, alibique. Lientaud Hist. Anat. Med. P. i. Obs. 155. 960. Tissot. L. c. Cas. 1. Clar. Home, L. c. Cas. 1.

Symptomata

Symptomatica est plurium morborum, praecipueque
Febris intermittens,

Melaena febricosa Sauv. Sp. 6. Forest. L. c. Schol. ad.
Obf. 24. Bonet. ex Guarinon. L. iv. S. 1. Obf. 3. Se-
nac. de Recondit. Febrium Natur. L. 1. C. 14. 23.
Lautter. Hist. Med. Bienn. p. 38. 102.

Febris continuae,

Melaena atrabilis Sauv. Sp. 3. Marc. Donat. L. c. iv. 7.
Morgagni L. c. xxxi. 7. Vandermonde in Journ. de Me-
dec. Mai 1757. Lind on Diseas. of Europ. in Hot Clim.
Ed. 1771, p. 123. Clar. Home, L. c. Caf. 3. Schotte de
Syncho Atrabil. aliique plurimi de Typho Ictero de scrip-
tores.

Scorbuti,

Melaena Scorbutica Sauv. Sp. 2. Affinis est Morbus Ma-
culos. Haemorrhagic. Werlhof. Oper. Edit. Wichman. p.
541 et 624. Gulbrand in Act. Haun. 1779. et Petechia-
nos Clar. Duncan. Medic. Caf.

PRINCIPIA. Satis esse argumenti videtur, quamobrem
hic morbus in duas, nec plures, species, velut idiopathicas, di-
ducatur. Siquidem distenta cum tumore hypochondria, ut ex-
terni characteris, sic interni principii atque sedis morbi quoddam
discrimen indicant. In corporibus ea melaenae specie quam sim-
plicem nuncupavi exanimatis, lien, jecur, et reliqua abdominis
viscera vitio fere vacabant: sed aliqua, vel et magna pars ali-
mentarii ductus, atra colluvie oblita; atque in aliis ventriculi,
in aliis mesenterii vasa solito turgidiora. Ubi gravius affecta
fuerant hypochondria, unum aliquod vel plura viscerum in ea
regione sitorum justo grandiora, et lien maxime; quod viscus
interdum durius; interdum intus tenerum, atroque cruore ple-
num et quasi corruptum. Quandoque una cum lienis labe bre-
via vasa admodum distenta, vel et nonnunquam in ventriculum

perrupta *. Est vero notandum, saepe et lienis inventam labem esse, ubi excretio, primo saltem, per inferiora facta fuerat, et sanguinem e ventriculo rejectum, inibique post in cadavere reperi- tum, qui sanguis vel a tenuibus, vel a superioribus crassis intesti- nis, utpote humore simili repletis, profectus videretur. Ex qui- bus apparet, et haematemesin a splene minus recte propositam esse; cum morbus ejus, modo vomitus, modo dejectionis cru- entae causa sit; et vomitum ipsum, cum adest (et adesse demum plurimis in casibus fatendum est) saepenumero consortio quod ventriculo cum intestinis est arctissimo tribui debere. Quibus de causis et locis haec haemorrhagia fiat, magna dissensio est. In horum omnium disquisitione, cum et instituti et argumenti ratio tractatum in singula sua membra solenni ordine dispertitum vix recipiat, velim sub uno principiorum titulo, et remetas, et pro- piores causas, laxius comprehendere. Eorum igitur quos nec scorbutus, neque febris ante fluxus adventum male habuisset, non- nullos macilentos, subtristes, et temperamento melancholico fu- isse memoratur. An ergo hypochondriasis et melaenae com- munis natura? Si Hoffmanni et Boerhaavii auctoritatem (gra- vem fateor utramque) secutus essem, fluxum hunc omnino, ceti morbi istius symptomaticum, habuissem. Longe vero abest ut in omnibus exemplis multa, aut in multis omnia hypochondriasis symptomata, melaenam comitentur. Quinetiam in alios incidit praeterquam qui hypochondriasi laborant; et haec vicissim genuina, inveterata, aliter ac suaderet Boerhaavii maxime doctrina, melaenam sibi comitem rarius adsciscit: Quae igitur nequaquam promero illius symptomate habenda est; nisi placeat omnem animi demissionem, et praecordiorum, undecunque ortam, anxie- tatem eo nomine dignari. Quid, quod constituta vel ad Hoff- manni, vel Boerhaavii mentem hypochondriasis causa proxima, deerit conditio sine qua melaena non existit. Cui etiam quan- quam rigiditas fibrarum nimia, nervosae vis torpor, et venarum ingravescens

* Riolan. Anthropol. L. ii. C. 15. Bonet. (ex Columbo) Sepulchr. L. iii. S. viii. Obs. 73. Wedel. Phys. Reform. cap. 10. et in Eph. Germ. Dec. I. An. lx. et x. Obs. 20. Hoffmann. de Vom. Cruent. Obs. 2. Vid. etiam Haller. Elem. Phys. L. xix. S. 1.

ingravescent plenitudo (quae quidem vera sunt hypochondriasis fundamenta) viam parare possunt; ulterius tamen quaerendae causae, quae efficiant, ut tanta vis sanguinis, exitum molientis, ad ventriculum vel intestina demum convertatur. In hac re plus ideo negotii est, quod de causarum quaecunque afferantur efficacia, dubitatio aliqua moveri possit; cum melaena, etsi non rarissimus morbus, haud frequenter tamen incidat. Quae vero proxima videantur proferam. Et primo de *simplice*, et hac quidem, si ulla, idiopathica, dicetur. Patet ex historiis, quae maxime ad hanc pertinent, plures aegrotantium fuisse senes, vel senectuti propiores; tum horum quoque, tum et reliquorum quosdam, vitam assidue sedentariam degisse: nonnullos etiam haemorrhagiis quondam adfuisse. Quinetiam, ubi aetatem consuetudinemque reticuerunt scriptores, temperamentum melancholicum extitisse monuerunt; quo mihi quidem venarum plenitudinem, qualis in aetatis flexu perpetua est, jam inceptam, et ingravescentem satis indicant. Cur in abdominis venas facilius graviusque id onus in primis cadat, ratio hic reddi deberet, ni clarior esset Culleniana doctrina, quae de hac re (Prim. Lin. DCCLVII. et sequent.) exposita est, quam ut ulla egeat interpretatione. Quocirca tantum notabo, quod notissima haemorrhoidis pathologia naturam minus exploratam melaenae explicat, illustratque. Ubi plus aequo sanguinis in venas jam conversa est, is primum in venis, quae, valvularum exfortes, ab intestinis abdominisque visceribus ad portam jecoris contendunt, moram trahit. Inde factae congestionis, recti intestini venae patent maxime; nimirum quod inferiores, longiusque a trunco distitae, flumine languidius ascendente, degravantur. Quamobrem non alia quidem, in morbis numeranda, sanguinis effusio frequentius quam haemorrhoids contingit. Contra, melaena paucos aggreditur; et id quidem ob hanc ipsam causam, quod infima pars intestinorum, cum remorato congestoque sanguini saepius obiecta sit, tum quicquid est superfluum fundendo, ne vasa superiora recludantur prohibet. Verisimilis haec ratio est, cur rarioribus morbis annumeretur. Stahlus rarissimum asseruit. Quod vero dictum de simplice melaena sola intelligendum est. Etenim, ut

analogiam

analogiam persequar, quantumvis frequenter haemorrhoids, ob spontaneam sanguinis redeuntis moram, ratione supra posita nascatur, tum ea vero, tum melaena, saepius ab aliquo momento, quale fere omni aetate potest fieri, excitatur; proindeque sunt plures *tumentis* quam *simplicis* melaenae casus commemorati. Hujus igitur, atque haemorrhoidis, quae absque tumore vel intestini recti irritamento fit, prope idem est seminium et origo. Utriusque fundamentum jacet congestio sanguinis languide refluentis in venis quae ad portam tendunt. Eventu demum, et fonte haemorrhagiae differunt; seu quia malum altiores egerit radices, sive quod alia in aliis vasorum distributio faciat, ut quae plerumque in ima solet recidere congestio, quandoque superiora magis urgeat. Et hac ratione quodammodo intelligitur, quamobrem iis praesertim, qui aut haemorrhoidem quondam passi fuerint, aut quacunque causa congestionem in venae portarum ramis contraxerint, per hujus radices ab intestinis ortas, vel per arterias focias, sanguis affatim profundatur. Attamen non semper ex intestinis recto proxime continuis profluit: interdum enim vomitus cruentus, quendam circuitum servans, viris familiaris fuit; quem vomitum haemorrhoidis vicarium esse non inepte creditum est. Atqui ventriculus, et rectum intestinum, etsi eorum vasa ejusdem *systematis* pars sint, nec horum communione inter se consociantur, neque tam brevi distant intervallo, quin potius intestina quam ventriculus sanguis erupturus peteret, nisi esset inter ipsas partes peculiare quoddam consortium et consensus: id quod docent varia dyspepsiae signa, quae turbatam, subsistentem, vel temere suppressam haemorrhoidem non raro excipere consueverunt. Itaque, ut suppressorum mensium haematemesis, strictius sic dicta, vicaria est, sic haemorrhoidis melaena; et haec interdum ab intestinis, interdum a ventriculo, vel et nonnunquam forte ab utraque simul scaturigine derivata. Diversos paulo, neque tamen ab haemorrhoides multum abundantes, explicatus *tumens* melaena habet. Haec enim aetati nulli, nisi teneram excipias, neque melancholicis, neque sedentariis

* Unicum, quod sciam, exemplum est infantis, qui a tumore brachii in diarrhoeam

riis adeo propria est, quin temperamento consuetudineque varios tentet; nimirum quia labis viscerum, cui variis ex causis quisque mortalium patet, confectaria est. Qui fit autem, ut, pro rata parte, tam raro consequatur? Enimvero, licet pluribus quam prior accidat, nihil dubito quin existant medici, non mediocriter in arte versati, qui nunquam viderint. Haud scio equidem an rationes, quas allaturus sum, scrupulum hunc eximant. Interea, ne fileam quod rem obscuram nonnihil explanat, est cur existimemus lienis tumorem, qualis in hoc morbo subest, non tam saepe a meatibus, sicut in scirrho, obturatis, obfirmatis, quam vasis ultra modum dilatatis fieri. Etenim id viscus interdum a fluxu detumuit, interdum tenerius solito repertum est. Et hoc modo facilius intelligitur, quamobrem sub impetu febris intermittentis, vel continuæ accedat melaena; cum in utraque multum sanguinis ad praecordia cogatur. Quod si ex congestione lienem degravante, attollente, tumores prompte subsidentes evenerint; ejusmodi casus quidem eadem ratione possunt explicari, ac ii quos nullus unquam tumor comitatus esset; hoc tantum discrimine, quod aliis levior, vel diffusa magis; aliis gravior, et quavisque de causa in lienis vasis cumulatior, congestio fuit. Non ideo negandum est, quin lien atque jecur, si cum duritie tument, plurimum in hac re possint, aut arteriarum sanguinem qui debuit per ipsa transire praepediendo, aut venas quae proxime subjacent graviter comprimendo. Sanguinis in arteriis cursus inaequalis, deturbatus, ut a nulla non parte corporis, sic interdum ab intestinis et ventriculo haemorrhagiam facit. Et quoties melaena, pyrexiam notabilem secuta, juniorem aliquem adoritur, facile tunc crederem eam a distentis arteriis solis oriundam. Tales profecto casus memoriae proditi sunt, nec haematem. *catameniali* neque *traumaticae* (quarum utramque a melaena sejungendam censui) convenientes. Verum in plerisque, antea saltem quam fluxus ipse imminebat, indicia nulla actionis arteriarum validioris sunt observata; vel, si quae horum adfuerunt, leviora

rheam piceam lethalem incidit; Hoffmann. de Vom. Cruent. Obs. 4. Cum tumore cruris in quodam sexagenario, primo defectionem, dein, excitante ira, vomitionem piceam conjungi traditum est; Vogel. Opusc. Med. Diss. ix. § 4.

leviora videntur, quam pro immani copia sanguinis excernendi. Venae facilius, et sine magno, aut suo, aut reliquorum vasorum renixu, cedunt. Perruptas interdum esse supra retuli. Morgagni quidem quosdam ex auctoribus ibi citatis suspectos habet: caeteri vero omni exceptione majores sunt. Recte monet vir idem eximius, saepius ne minimum ruptionis vestigium apparere*. Atqui non raro dilatata vasa in conspectum prodierunt, quae vasa, etsi auctores ipsi tacuissent, e numero venarum fuisse conjicerem, utpote cum serius in moribundis mortuisque soleant depleri. Pone autem nec perruptas neque dilatatas videri; veri tamen simile est, ob rationes supra positas, remorato congestoque sanguini suscipiendo naturaliter aptiores esse. Langueute autem vel cohibito in his cursu, perspicuum est, quam validus in arteriis demum impetus exinde fiat; quippe quas flumen progressurum, at impeditum, vehementius distendat, atque stimulet. Neque utique constat, venas semper sanguinem effundere, uti plures credidisse videntur, eo forsitan adducti quod proluvies tam atra sit. Sed florido colore sanguis, qualem arteriae fundunt, intimis clausus penetralibus nigrescit. Fertur etiam lienis vasa omnia nigerrimi cruoris plena saepenumero post hunc aliosque morbos inveniri. Quin etsi ruber fuerit, cum primum ad alimenti ductum pervenit, hic facile, dum plicis et anfractibus tenax haeret, obscuriorem colorem adipiscitur. Est vero cum aliqua pars grumi laete rubet; et qui nigerrima dejecit aeger, subrubra vomit. Quaeri potest, ecquid moliminis, quale fluxum ab arteriis solet, melaenae accessum comitetur? Ventris dolor quidem, prope ad excretionem usque, saepe ingravescit; et alvus tarda cum dejectis scybalis, intestinorum spasmodum, qui moliminis istius pars est, indicare videntur. Sed haec, fateor, ambigua sunt: neque adhuc suppetunt observationes circa hanc rem de industria habitae. Et alvus tarda quidem, in symptomatis, tum praegressis, tum sequentibus fere perpetua, pendeatne magis ex vetusto intestinorum torpore, an temporario spasmo, parum liquet. Neutiquam tamen ex eo, quod leve vel nullum molimen fuerit

* L. c. xxxvi. 12.

fuerit observatum, inferre licet nullum extitisse: nam ingens plerumque copia sanguinis ante eliminatur quam interveniat medicus. Utcunque sit, non inficiandum, quin venae, cum prius distendantur, interdum prius dehiscant. Diu creditum erat lienem, quoties atra bile turgeret, hanc recta in ventriculum per breve vas effundere: hac etiam quicquid unquam sanguinis, tumente liene, vomitu rejiceretur, derivatum. Fidem fecerunt incisiones cadaverum, in quibus istae venae prae caeteris dilatatae apparebant, et eorum observationes qui ex liene pressio sanguinem in ventriculum influere observabant: quem igitur hoc iter aliquando in vivis legere credibile est, modo transitu per ramum splenicum prohibeatur: atque notandum est, scirrhum jecoris, aut pancreatis, cujus pressui ramus iste peropportunos, cum lienis labe non raro jungi *. Si vero nihil horum fuerit, necesse est aliam sibi viam inveniatur: naturaliter enim sanguis a liene redux non alluit ventriculum, sed ab utroque viscere in ramum splenicum concurrit, ad portam deferendus; quemadmodum, et inspectio vasorum, et experimenta, praecipue Loweri, plane commonstrant. Aliae complures rationes et viae fuerunt excogitatae, quarum quae sint probabiliores exponam. Si lien usque adeo intumuit, ut venas breves comprimatur, prohibeatque quo minus facile sanguis a ventriculo revehatur; tum vel in fociis, si hae satis perviae sint, vel in reliquis ventriculi arteriis (nam singulae cum caeteris communicant) coercetur, earumque per extrema molitur exitum. Nonnulla quidem crediderunt vasa sola ventriculi tantum sanguinis sufficere non posse, non satis reputantes fortasse, quantum quot arteriae e tribus caeliacae ramis ad hoc viscus et duodenum missis praebeant †. At vero, cum interdum nulla accidat vomitio, neque semper cum labe viscerum turgida aut dilatata ventriculi vasa conspecta sint, fons alter, et in hac specie quoque, ex intestinis est petendus; et hic, ni fallor, in utraque frequentissimus: verique simile est sanguinem

* Dignus est qui de hac re legatur Bohn. Circul. Anatomico-physiol. Ed. 1686, p. 284-5, &c.

† Ventriculi valide distenti, et cruore propriis ex vasis destillante ad medium repleti meminit Ger. Blasius Obs. Anat. Pract. in Hom. Brutisque variis, Ed. 1674, p. 122.

guinem vomitu rejectum, plerumque ex intestinis inverso motu hauriri; ventriculumque, ut ante fluxum, ita hoc praesente, per consensum duntaxat affici. Proxima sub caeliacam mesenterica superior ramos edit; qui ad intestina jejunum, ileum, caecum, itemque aliqua ex parte ad duodenum atque colon, distribuuntur. Eorum extrema venulae mesaraicae excipiunt; et hae concursu mutuo majores factae, tandem in unam venam defluunt, quae sic collectum ab intestinis sanguinem ad portam vehit. Ubi jecur, vel forte pancreas, aut lien, in vastam molem excreverunt, tum ea vena et grandiusculi in eam coeuntes rami compressione periclitantur, non solum ab ipso viscere, cui gravissimum haeret vitium, sed a contiguis quibusque partibus; quarum quae venas has proxime attingit, maximam, etsi sana, vim exferit: Proindeque ventriculus, dum plusculum cibi continet, et distentionem hypochondriorum valide intendit, et lieni vel aliis conterminis sibi partibus appressus, fluxum sine dubio excitare potest. Talem igitur compressionem siquando venae graviores subeunt, impetus fiet in arterias pene innumeras, quae, epithelio tenui munitae, in villis intestinorum discurrent. Pari ratione tumor ex jecinore prope venam cavam enatus fecit, ut venae, cum mesaraicae, tum ventriculi, mirum in modum turgent*. Existimaverunt celeberr. viri sanguinem supra infraque erumpentem primo ex jecinoris propriis sibi vasis in biliares poros transfundi, et hinc in duodenum pervenire. Quorum sententiam nec impugnare lubet, neque penitus expendere necessarium est; quia faciliores, ut opinor, vias indicavi. Quemadmodum a vulnere interdum sanguis, ita ex abscessu pus, ab eo viscere ad intestina delabitur; aut, cohaesione prius facta, utervis humor protinus ad ventriculum vel duodenum transit. Sed haec et his similia eventa, ex incisis vel solutis vasis consecuta, melaenae videntur aliena: quam aliquando ruptis, saepius per *anastomosis* apertis vasculis fieri, ex supradictis concludendum.

De causis excitantibus nihil magnopere dicendum restat. Videtur hic fluxus citra evidentem causam saepe exoriri; vel si

quid

quid extrinsecus accedit, momentum addens; id simile est, parique ratione agit, ac ea quae caeteras haemorrhagias movere solent. Compotationes, emetica, cathartica, vehementes animi corporisque motus subsecuta est.

PROGNOSIS. Traditis jam auctorum de eventu testimoniis, indagatisque quatenus necessarium videretur principiis, quaedam hic *prognostica*, quae supradictorum, vel rationis ipsius rei plane confectaria sunt proponam. Ingens et ex intervallis brevibus iterata profusio, utpote sanguinea semper, metum adfert praesentissimum. In aetate admodum senili fere lethalis est, Quae vires ac vitam non penitus exhaustit, aegrotationis praegressae levamen ad tempus attulit: atqui, cum facile recidiva sit, metuendum, ne hydropem inferat, aut ipsa demum jugulet. Docente ratione, nec repugnante observatione, pejor est, et ad curandum difficilior, si tumor adest, quam si excretionis solitae locum tenet, absque tumore. Quae gravissimis accedit febribus, mortis index est; quae continuis mitioribus, aut intermittentibus non item: periculum a specie febris aestimandum. Pyrexia si obscurior, vel nulla prius adfuisset, fluxum, si immodicus est, fere protinus subsequitur. Nonne ab exinanitione maxime?

CURATIO. Id votum est, ut curandi ratio non solum propositae theoriae consentanea sit, sed etiam usu et auctoritate confirmata. Qualis est, ut reor, haec nostra, tribus consiliis absolvenda.

Conf. I. *Haemorrhagiam moderari vel suppressere.* II. *Sanguinem in alimentario ductu restantem leniter emovere.* III. *Vires restituere, et recidivae occurrere.*

I. *Haemorrhagiam moderari* nunquam non tutum est, suppressere, si potest hoc fieri, saepe necessarium. Ad hoc, tum caetera quoque consilia rite exsequenda, juvaret nosse, quaenam durantis, quaenam cessantis haemorrhagiae indicia sint. Si sanguinis ejecta pars quaedam grumo non involuta, rubra est; si subito exortus fuit, et perstat virium atque animi defectus major quam pro ratione sanguinis jam antea eliminati; si diutius, fre-

quentius repetita, immodica quanta prius copia excernitur: ubi sic se res habet, sanguinem etiamnum intus distillare indicat; aut certe praesentanea auxilia exigit, vasibus adstringendis apta: Quorum tamen in selectione et usu cavendum est, ne talia sint, neve tanta mole per os fumantur, ut vomitum cieant augeantve. Remedium parabile, nec contemnendum forsitan, aqua frigida est: nonnullis enim videtur profuisse*: Sed evadit efficacior, adjecto acido. Alii vegetabile, alii vitriolicum laudant. Hoc, quippe fortius, in graviore malo videtur anteferendum. Quominus autem tormina ventris moveat, demulcente aliquo liquore probe diluendum est. Moris est quorundam potiones ex ajuga, faniacula, consolida, millefolio, et nescio qua farragine herbarum decoctas ingerere; in quibus parandis tempus male teritur, dum aeger in praecipiti est. Ubi sublatus est praesens metus, tum quidem, si ad palatum aegri, aequae ac ostentationem medici componantur, eximie utiles esse possunt. Hoffmannus auctor est, ut crura in aqua gelida demergantur. Vinculum supra genua injectum, quod vir idem celebris proposuit, molestum est et anceps auxilium. Juvant animi tranquillitas, corporisque resupinati quies; aer perflatus, frigidiusculus. Laedunt calida atque stimulantia omnia; itemque cathartica; nisi quando alvus jam aliquamdiu fuerit adstricta; tum subluenda est, lenissime tamen. Plerumque etiam missio sanguinis videtur aliena: Si quidem incepto vomitu, aut dejectione, vires ac pulsus mox inde labant. Veruntamen, ubi corporis habitus paulo robustior est, et in tempore venit medicus, potest interdum fieri, ut paucarum unciarum expedita per amplum vulnus detractio, librarum aliquot dispendium antevertat. Sed hoc in medio relinquendum. Dum angustiis urgetur aeger, alimenta non alia quam forbilia atque blanda sumat.

II. *Sanguinem in alimentario ductu resstantem leniter emovere* convenit, simul atque impetus ipsius haemorrhagiae remittit. Si
igitur

* River L. c. Sauvag. de Haematem. Plethoric. De Haen Rat. Med. V. iii. C. 12. Num praestat, si crebrae sunt dejectiones aquam prope gelidam per inferiora immittere?

igitur vomitus aut dejectionis intervalla longiora jam facta sunt ; quodque per inferiora excernitur ex toto nigrum, et perquam foetidum est, medicamenta leniter alvum purgantia veniunt utenda. Solet enim sanguis, prae tenacitate sua in anfractibus intestinorum remoratus, cito putrescere, eoque nauseam movere, et debilitatem jam nimiam adaugere : nec inficior, etsi credam, pulsus citatiorem exinanitionis magna ex parte effectum esse, haerentem intus colluviem, feбри quae in hoc statu plerumque adesse fertur, fomitem praebere. Quare danda opera est ut egeratur, corrigatur. Kaempferus enemata mollientia summopere laudat : et haec quidem videntur commodissima, donec fluxus paulisper remittat, et stomachus consistat. Cum vero fordes, quibus, et ventriculus, et intestina gravantur, nauseae perstantis causa esse possint, haud scio an recte per os maturius sumantur medicamenta, quae alvum paulo validius perpurgant. Id saltem constat, quod infus. tamarind. ol. ricin. rhaeum, vel etiam rhaeum cum calomel. commistum, maturius praescripta fuerunt, nec inde semper deterius malum. Sed haec et his similia sine magno aegri incommodo paululum differri possunt : si assidue ministrentur potiones subacidae, quae putredini obsistant, et excretiones per quas eluatur promoveant ; et simul alvum leniter irritantia, neque tamen mole sua distendentia, ex inferiore parte iteratis vicibus infundantur. Postea vero quam induciae longiores impetratae fuerint, tum demum cathartici supra positus locus est. An alumini quoque ? Commodum tulit non mediocriter in quodam casu vomitus cruenti a vulnere exorti * ; et in primis remediis id proposuissem, ni subesset exinde metus, quod alvo movendae aptum est. Sed ob hanc ipsam causam, inclinato malo, maxime idoneum fore crederem.

III. *Vires restituere et recidivae occurrere.* Convalescentis jam aegri vires cibus facilis, et stomacho non alienus, commode reficiet. Ut saepius autem cibo utendum, sic exiguo est. Ad idem proficit vinum austerum, dilutum ; modo id modice assumatur, nec prohibeat febris. Cortice Peruv. quoque ad aliquod tempus

* Mem. de l'Acad. de Chirurg. Ed. 1743, T. I. p. 592.

tempus postulant ventriculi atque totius corporis labefactatae vires. Sed aegris, nec senio confectis, neque in hydropem propendentibus, medicinae huic roboranti leviter brevique tantum insistendum est. Renascetur enim malum, nisi plenitudo avertatur. Quod ut fiat, praesidia quaedam, tum a praedictis, tum inter se diversa erunt proponenda. Omnibus quidem cavendum est a calore nimio, ebrietate, motu corporis animique vehementiore, emeticis, et catharticis fortioribus: quotiescunque autem alvus rarius quam ex consuetudine fertur, aliquo tormina non ciente medicamento leniter citanda est. Caeterum, quo melius plenitudini occurratur, tenenda est distinctio, quae, veluti *specificæ*, superius est proposita. Ubi nullus tumor, aut visceribus inusta labes discerni potest, auxilia simpliciora, et haec a regime victuque maxime petita, profunt. Qualia sunt exercitatio modica, sed assidua; victus tenuis, et, uno verbo, ea cuncta praesidia, quae, docente ill. Culleno, ad plenitudinem arcendam et minuendam conferunt (L. c. § DCCLXXXIII. et seq.) Plurimum enim a congesto in venis sanguine melaena nascitur, ut alias dixi: ac si nulla fuerit arteriarum, aut venarum, praeterquam portae ramorum, plenitudo; tamen minuendo totum sanguinem, congestionis in his occasio praeripietur. Solennes quondam excretiones, si harum suppressionem in causa fuisse visum est, restaurandae; aut, ubi id fieri non licet, instituta nova, quam maxime potest, compensari debent. Et haemorrhoids praecipue, si familiaris ante fuerat, enixe, sed caute, danda opera est, ut resuscitetur. Desideratur quidem quae id opus commode tutoque praestent. Licet autem experiri quid valeant vapores aquae fervidae, et hirudines admotae: eodemque conferre potest lenis, at frequens, equitatio; neque nocebunt forsitan gummi foetida, modice subinde data, si corpus non calefaciunt. Sed haec, ut omnia, diffidenter dicta sunt. Quod si tumor in hypochondriis restiterit, quaeri potest, numquid aliud remediorum genus, quo is discutatur, recte adhibendum sit? Ita enim putare videntur, qui de *infarctu* scriptitant. Equidem nihil dubito, quin melaena aliquando, et ab aliquo indurato viscere quo prius scriptum modo oriunda sit, et propterea maxime lethalis fuerit,

fuerit, quod id vitium penitus insedit, curationem non recipiens. Praeterquam vero quod nulla haecenus, quantum novi, remedia in hunc finem satis idonea proposita fuere, talium tumorum natura, et in efficienda melaena vis minus cognita est, quam ut multa de hac re proferre audeam. Apud externos quidem *ecphraëlicorum*, *attenuantium*, *resolventium*, nomine decantantur, *solan.* *dulcamar.* *stipites*, *leontod.* *tarax.* aliaeque huic affines plantae succum lacteum subamarum ferentes; quae omnes vix pluris quam laudatissima olim *splenica*, *tamariscus*, *cappar.* et "urenda filix," nostratibus aestimantur. Quatenus autem aut levem tonicam, aut aperientem habeant facultatem, satis tuta sunt; et cicutae forsitan, vel et certius toxicis non ita pridem celebratis anteferenda: haec enim venenato suo stimulo cum aliis turbis et incommodis, interdum haemorrhagias excitant; id quod ab experimentis solertissimi Greding scire facile est*. Igitur mitissimis, si ullis, utendum est. Mallem equidem ante omnia *crystall. tartar.* vel aliquod sal medium subinde dare, quo alvus cita reddatur: nam huiusmodi medicamina vice resolventis funguntur, et nunquam non sunt utilia. Interea juvabit, aut regionem quae tumet assidue fricare, aut, si dolor id prohibet, epithema aliquod discutienti superimponere—Sed, ut vela contraham: Haec proposui, ne quid ad consilium explendum, reditumque mali tam formidolosi prohibendum deesse videretur; non quod existimem valde efficacia esse; sed quia potiora non suppetunt. Et lubens fateor, tum in hoc, tum in aliis hujus chartulae, cito periturae, capitulis nonnulla esse dicta, quae aut sola conjectura, aut, quod eodem redit, auctoritate non gravissima nituntur: nec ultra res ipsa, quantum video, progredi finit. Si quis autem certiora doceat, ac de errore me deducat, ei maximam gratiam sum habiturus.

* Ludwig Adversar. passim.

卷之五

一、論...
二、論...
三、論...
四、論...
五、論...
六、論...
七、論...
八、論...
九、論...
十、論...
十一、論...
十二、論...
十三、論...
十四、論...
十五、論...
十六、論...
十七、論...
十八、論...
十九、論...
二十、論...
二十一、論...
二十二、論...
二十三、論...
二十四、論...
二十五、論...
二十六、論...
二十七、論...
二十八、論...
二十九、論...
三十、論...
三十一、論...
三十二、論...
三十三、論...
三十四、論...
三十五、論...
三十六、論...
三十七、論...
三十八、論...
三十九、論...
四十、論...
四十一、論...
四十二、論...
四十三、論...
四十四、論...
四十五、論...
四十六、論...
四十七、論...
四十八、論...
四十九、論...
五十、論...
五十一、論...
五十二、論...
五十三、論...
五十四、論...
五十五、論...
五十六、論...
五十七、論...
五十八、論...
五十九、論...
六十、論...
六十一、論...
六十二、論...
六十三、論...
六十四、論...
六十五、論...
六十六、論...
六十七、論...
六十八、論...
六十九、論...
七十、論...
七十一、論...
七十二、論...
七十三、論...
七十四、論...
七十五、論...
七十六、論...
七十七、論...
七十八、論...
七十九、論...
八十、論...
八十一、論...
八十二、論...
八十三、論...
八十四、論...
八十五、論...
八十六、論...
八十七、論...
八十八、論...
八十九、論...
九十、論...
九十一、論...
九十二、論...
九十三、論...
九十四、論...
九十五、論...
九十六、論...
九十七、論...
九十八、論...
九十九、論...
一百、論...